



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 104. Vita hujus Pontificis ante sui electionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII ceteris dignior eligitur, corruptela non
A. C. 1623 est, in Diaconorum Cardinalium Or-
 dinem cooptavit.

§. CIV.

*Vita hujus Pontificis ante sui ele-
 ctionem.*

*Heidegger.
 Hist. Pap.
 tom. 2.
 Abrege de
 l'hist. Eccl.
 tom. 10.*

Primam lucem Florentiæ anno Christi
 millesimo quingentesimo sexagesi-
 mo octo Maphæus ex nobilissima &
 pervetusta Barberinorum familia natus
 aspexit. Mentem suam omni scientia-
 rum & virtutum genere excoluit, lin-
 guæ Græcæ adeo peritus, ut *Apis At-
 tica* diceretur, atque ob florentissimum
 ingenium, artificium Poeticum & om-
 nigenam eruditionem omnibus admi-
 rationi esset. Decimum nonum æ-
 tatis suæ annum nondum egressus e-
 rat, cum opera Patruī, qui longe di-
 tissimus eum ex asse hæredem dixerat,
 inter Cameræ Apostolicæ Clericos nu-
 meraretur, & paulopost a Sixto V. Re-
 ferendarii munere auctus a Clemente
 annos natus viginti quatuor Fanensis
 Gubernator, demum vero Protonota-
 rius Apostolicus renuntiatus esset. Ute-
 batur idem Pontifex Maphæi opera ad
 instruenda acta, quibus Ferrariæ pos-
 sessio, necnon nuptiæ Philippi III. Hi-
 spaniæ Regis cum Margaretha Regina
 firma-

firmabantur, postea Maphæus in Franciam ablegatus est, Henrico IV. natalem diem primogeniti Filii sui Ludovici XIII. gratulaturus. Postea Apostolicus Nuntius ad eundem Franciæ Regem missus, & Archiepiscopus Nazareus renuntiatus, a Paulo V. Cardinalium Collegio adscribatur: Demum ad Spoletanam Ecclesiam promotus, proprio virtutum exemplo ac singulari Zelo Diæceseos suæ Clericos, & populum ad firmum pietatis & disciplinæ studium reducebat, ornandisque Templis, fundandis Seminariis, & fovendis Pauperibus patrimonium suum impendens, postquam implicatissimis universalis Ecclesiæ negotiis distentus, ipsemet Ecclesiæ suæ curam habere haud ultra posset, illius onus & commodum sponte abjicere, quam suo gregi deesse maluit. Romam igitur reversus a Paulo V. cui Maphæi probitas, justitia, morum comitas, & eruditio probe perspecta erat, Bononiensi legatione honoratus est, atque a Gregorio XV. Scotorum Basilianorum, Græcorumque Protector, & Congregationis de Propaganda fide Præfectus nominatus, ubique omnium in se admirationem rapuit.

Sæc. XVII
A. C. 1623.